



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Quintus Locus. Per Comparationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

cum expanendo eam in vario sensu, cujus exemplum ponitur à Sancto Saesio in illis verbis Genesis 25. *Dua gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividuntur, Populusque, Populum superabit, & maior serviet minori:* ubi literaliter duo populi, Israelitæ scilicet & Idumæi de Esau & Jacob egressi significantur, ex quibus Israelitæ minores superabant Idumæos majores natu tempore Regis Davidis, Allegoricè Esau populum Idumæorum, Jacob Paganos, Anagogicè Esau corpus, Jacob animam, tropologicè deniquè Esau amorem proprium, Jacob amorem Dei significat. Quandoque tamen eadem sententia in eodem etiam sensu variè exponi potest; sic verba illa Sancti Luca: *Exiit quidam seminare semen suum,* &c. exponi possunt in Bonum & malum sensum moraliter; in bonum quidem, si dicatur, quod pœnitens exiit de statu & carcere peccandi ad libertatem, & seminare bona opera incipiat juxta illud; *Euntes ibant, & flebant &c.* in malum verò sensum, si dicatur, peccatorem exire, id est, quasi extra se ipsum labi, quando judicium rationis deserit, & tunc seminare semen suum, id est, iniquitates juxta illud proverbiorum 22. *qui seminat iniquitatem, metet mala,*

QUINTUS LOCUS.

Per Comparationes.

Ex hoc loco sic fit amplificatio. Sumitur nomen adjectivum, quod in sententia reperitur & si est positum in superlativo, adjungitur positivus, & comparativus & vicissim, ut in sequentibus exemplis videre est. Dicit Sanctus Paulus ad Ephesios c. 2. *propter nimiam Charitatem suam, quâ dilexit nos Deus:* hic textus sic potest amplificari per comparationem; Bene dicit propter nimiam Charitatem; quia Dei charitas erga nos erat magna in creatione, fuit major in Gubernatione, maxima in redemptione, nimia in glorificatione. sic quando Joann. cap. 19 dicit, *qui me tradidit minus peccatum habet;* dicere potest, qui hanc sententiam amplificare cupit, si Judas habuit peccatum magnum, quia magnum pretium ex avaritia concupivit, majus utiquè habet, quia Dominum suum tradidit, sed maximum habuit peccatum, quia de misericordia Dei deliquerat.

Per-

Potro sicut comparatio fieri potest respectu ejusdem, ita & respectu diversorum institui potest v.g. dum lib. I. Maclab. cap. 2. dicitur: intendit in præceptum legis, amplificari potest hæc sententia dicendo. Quidam in præcepta legis intendunt per contemplationem, quidam attendunt per sollicitudinem, quidam prætendunt per simulationem, quidam contendunt per æmulationem.

SEXTUS LOCUS.

Per varias Compositiones.

Ex hoc loco sic fit amplificatio. Occurrit v.g. illa sententia Habac. 3. *Egressus est in salutem populi sui*: Super quam dicit Concionator, Dominus egressus fuit è cælo, ingressus fuit in mundum, regressus in cælum, supergressus universa. Item super illam sententiam ad Rom. 6. *quid dicemus, Fratres, permanebimus in peccato?* dicat, quidam *stant seu permanent in peccato*, à futuris quidem abstinentes, sed pro præteritis non satisfacientes; quidam autem in peccatis *sedent*, partim in peccato remanentes, partim verò ab ipso surgentes; quidam autem in peccato jacent omni tempore in ipso remanere proponentes; quidam denique in peccato ambulant, de peccato in peccatum progredientes, quæ omnia paulò clariùs explicanda, & fusiùs ostendenda sunt.

SEPTIMUS LOCUS.

Per rerum proprietates.

Ex quo sic fit amplificatio. Indagantur proprietates alicujus rei, & explicantur, ac vel alicui Sancto, de quo fit Conciò, vel ad mores applicantur. sic si Concionator veller explicare illam sententiam Christi. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* rectè per hunc ignem intelligeret Charitatem, quia uti ignis inter elementa, ita hæc inter virtutes est præstantissima. Item semper tendit sursum ad Deum, producit levitatem ad quævis opera perficienda, calefacit, omnia vincit, illuminat ut ignis &c. ad hunc modum etiam pertinet dilatatio Sermonis, per ea, quæ solent rem, de qua agitur, comitari, ut si quis in Conciòne de judicio mentio-